Dei

Dainricus Dei et apostolice Sedis gratia Episcopus Curien. Dilectis nobis in Christo Decano Camerario Capituli super lapidem
ceterisque presbiteris ad presentium executionem requisitis Salutem in Domino ad capellam beate marie virginis in lan
que subest parochie Schanis nostre Curien. Diocesis per liberam resignationem honorabilis Domini Johannis martini novis-
simi eiusdem possessoris vacantem venerabiles et circumspecti viri Domini Prepositus Decanus totumque capitulum
Ecclesie kathedralis Curien. qui ius presentandi dicte capelle ad se pleno iure asserunt pertinere dilectum nobis
in Christo Dominum Johannem Bernardi presbiterum prefate diocesis per suas patentes litteras pro capellano dicte capelle
nobis legitime presentaverunt cum et pro eo supplicant humiliter et instanter ut ipsum ad eandem investire dignaremur
Nos vero supplicationibus huiusmodi favorabiliter annuentes Dictum Dominum Johannem Bernardi nostro prefato nobis presentatum
ad dictam capellam beate marie virginis in lan pro vero et perpetuo capellano duximus canonice instituendum
ac de eadem investiendum ac instituimus et investimus presentium per tenorem quocirca vobis et cuilibet vestrum mandamus
quatenus prelibatum Dominum Johannem prestito primitus per eundem iuramento ad Sancta Dei Evangelia de obediendo
nobis et successoribus nostris et de non alienando bona huius capelle sed potius de perdita recuperando in et ad supradicte
capelle iurisque et pertinentiarum eiusdem possessionem inducatis corporalem faciens sibi ab his quorum interest de ipsius
capelle fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi in cuius rei testimonium
nostri vicariatus officii sigillum presentibus est subappensum Datum in castro nostro Curien. Anno Domini Millesimo
quadringentesimo nonagesimo octavo Die vero ultima mensis Augusti Indictione prima

Augustinus Mungkofer
Curie Curien. vicenotarius sscripsit

© Bischöfliches Archiv Chur (Schweiz)